

coram Deo non tollitur meritū Christi, sed meritum nostrum. Εὐδηνλον ex præcedentibus.

XV. Posita fide justificante ponitur meritū Christi. Neq; enim fides sua dignitate censetur, sed objecti: nec aliud aut diversum à merito Christi dicit, sed perceptionis ejus modum indicat.

XVI. Posita fide justificante ponuntur bona opera, non tanquā concurrentia ad actum justificationis, sed tanquam effecta consequentia. Itaque cum dicimus, sola fide nos justificari, hic est sensus, solam fidem esse ad hoc ordinatam, ut apprehendat promissionem Dei in Iesu Christo, adeoque remissionem peccatorum, & justitiā Christi. Aliās si sola fides sit idem, quod fides solitaria, h.e. non pariens ex se bona opera, intrepidè cum apostolo Iacobo pronuntiare oportet, non sola fide nos justificari, sed etiam operibus, id est, fide per bona opera efficace. Iac. 2.

XVII. Posita justificatione activa ponitur passiva. Nam cohærent inter sese.

CAPUT XXVI.

De Libertate Christianâ.

I. Libertate politicâ seu civili ad Christianam seu spiritualem, & vicissim, non valet argumentum. Potest enim aliquis politicè